

341


339

345

dicuntur Pegasi. De quibus in Spec. Nat. Lib. 17. C. 126. Generatur enim Pegasus in Aethiopia, et est animal magnum et horridum, formam equi habens caputque cornibus armatum, alas ut aquila magnas, secundum proportionem corporis sui, cumque sit gravis corpore alarum adjutus remedio fuga mirabili potius currit quam pervolat et aëre colliso virtute pennarum ad instar turbinis ventos impellit; escas multas devorat et inquiete movetur, infestus est animalibus et maxime hominibus.

Generationem Pegasorum poetae tali inducunt facetia. Dicunt enim, tres fuisse sorores pulcherrimas, unum tantum oculum habentes, ex monstro marino natas, quae tres Gorgones nominantur; senior autem inter eas dicebatur Medusa, habebat crines non solum flavos, sed aureos. Hanc Neptunus rapuit eamque in templo Minervae oppressit, quae concepit et Pegasum equum peperit, quam ob rem turbata Minerva, ne ignominia templo injecta maneret inulta, crines Medusae mutavit in angues, et sic ex pulchra monstruosa facta est. Hujus Medusae caput abscidit Perseus, et dum ipsum portaret in patriam suam, ubieunque ceciderunt guttae sanguinis, ibi creverunt serpentes. Sic a Gorgone nati sunt Pegasi, propter quorum velocitatem etiam naves Pegasi, equi alati, vocantur.

Nono die illucescente Pegasus nostris alas dedimus, id est, navibus nostris vela remissa reduximus sursum et benedicto vento nostro commisimus, statim autem rapti per mare rupibus altissimis plenum navigavimus cum jocunditate et ad Coronam insulam Achajae venimus. Est enim Coronum insilla ad latus Achajae et habet in promontorio pulchram civitatem, Coronam dictam, sub qua navigavimus, quae ad manus Venetorum devenit anno Domini 1204., et hodie est. In hac insilla tot capiuntur quiscolae, quae deplumatae et exenteratae in vasis salitae ducuntur Venetias, sicut halleca. Aestimant aliqui, quod illae aviculae hieme adveniente transmigrent de nostris partibus ad illam insillam, ut ibi calore foveantur usque ad vernale tempus, quo ad nos revolant. Nobis autem juxta civitatem (187 a) navigantibus venit in cymba praefectus civitatis et insulae et ad nos ascendit et usque Venetias nobiscum venit. Circa octavam horam ante meridiem vidimus civitatem Metonam, quam Modum nominant in cornu Achajae, et cum laetitia portum ingressi sumus, ubi sex galeas invenimus, quas in



330

335

350

330

390

290

440

240

Ende

Anfang